Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26052
Copyright: Admont, Benediktinerstift

die purificandus ille est qui uiriliter egit statim munda efficitur
que genuit eum. Purgata namque uitiis carnem ex resur-
rectione suscipiet. qui nichil in se habuit uirile ad diluendum
peccatum. si remissus et effeminatus permanserit in actibus suis.
Iste namque in presentis seculi ebdomada neque in futura purgabi-
tur ab inmunditia sua. Locutus est dominus ad moysen et aa-
ron dicens. Homo in cuius carne et cute ortus fuerit diuersus
color siue pustula aut quasi lucens quippiam id est plaga lepre
adducetur ad aaron sacerdotem uel ad unum quemlibet filiorum ei
eius. Qui cum uiderit lepram in cute et pilos in album mu-
tato colore plaga lepre est. et arbitrio eius separabitur. lepra doc-
trina est falsa. Proinde leprosi non absurde intelliguntur heriti-
ci. qui unitatem uere fidei non habentes uarias doctrinas profiten-
tur errores. ueraque falsis admiscent. sicut et lepra ueris fal-
sisque locis humana corpora uariando commaculat. Huius scilicet
lepre inuenimus legis latorem sex species in homine posuis-
se. prima capitis et barbe. secunda caluicii et recaluationis. tertia
carnis et cutis. quarta cutis et corporis et cicatricis albe cum
rubore. quinta ulceris et cicatricis. sexta ustionis. In capi-
te lepram portat qui in diuinitate patris ut in ipso capite
quod est xpc ~~ihc~~ peccat. Capud enim uiri xpc est. Hanc lepram
habent iudei. ualentiniani. marcioniste. fotiniani. ma-
nichei. arriani. sabelliani. macedoniani. antropomor-
fite. prisciliani. donatiste. nestoriani. euticiani quique omnes
caluariam lepram gerunt. quia erroris sui perfidiam apta pre-